

# **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Svmmvla Caietani**

**Cajetan, Thomas**

**Antverpiae, 1575**

Idolatriæ crimen plusquam mortale dicitur.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41716**

cis propriis dicuntur. Laus quoque perniciosa sicut adulatio, & inanis gloria discernitur, si scilicet laudatur seu approbatur aliquid contra Deum aut proximum: ut quodcumque peccatum mortale. Ex his enim habes, quod nisi perniciosa sit iactantia, ex intentione aut materia contra Deum aut proximum, venialis est, & frequens humani generis labes.

*Idololatriæ crimen plusquam mortale dicitur.*

**I**dololatria (quia scilicet alteri quam Deo, diuinus cultus exhibetur) peccatum est mortalissimum: quia quantum in se est, æquiparat creaturae creatori.

**I**eiunii Ecclesiastici omissione multiplici eget consideratione, ut sanè iudicet. Et ad quatuor capitula cuncta reduci possunt. Primum est quidem de necessitate iejunii. Secundum, qui sunt dies iejunii. Tertium, qui tenentur ad iejunium. Quartum, quali vinculo adstringantur ad iejunium.

*Ieiunij necessitas tria includit necessaria.*

**Q**uo ad primum, de necessitate iejunii, sunt tria: scilicet qualitas ciborum, hora competens, & unica comedens. Exigit quippe omne Ecclesiæ iejunium abstinentiam ab esu carnium. Sed inter quadragesimam & alia ieunia hoc interest, quod quadragesima requirit etiam abstinentiam ab ouis & lacticiniis: in aliis autem iejunis potest quisque uti ouis, & lacticiniis, ubi consuetudo est: ubi autem non est consuetudo, non licet. Quod si alicubi in quadragesima consuetum sit uti butyro, excusantur: ex quanto tempore Prälati sciunt & non reprehendunt. Moram conuenientem ad comedendum intantum exigit iejunium, ut ab hora nonna acceperit: ut pater